

Johann Quistorp Justus Schusler

## **Disputatio Theologica De Iustificatione**

Rostochii: Kilius, 1645

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738044024>**

Druck Freier  Zugang



Kart. J. Schüsslerin

Foh. Quistorp / d  
R. N. theol. 1645.







DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

# JUSTIFICATIONE,

Quam

Summæ Triados favore patrocinante,

Consensu

Reverendi & Amplissimi Theologorum Collegij  
in inclito Athenæo Baltico,

SUB PRÆSIDIO

Viri Reverendi admodum, Clarissimi, & Excellentissimi

DN. JOHANNIS QUISTORPII,  
S. S. Theol. Doct. & Profess. Publ. Celeberrimi,  
Theolog. Facultatis Senioris de venerandi, Decani p. t.  
Spectabilis, ad Div. Mariæ Ecclesiæ Vigilantissimi, Præceptoris,  
Fautoris ac Promotoris sui æviternum suspiciendi,  
observandi.

Publicè examinandam sistit

JUSTUS SCHUSLERUS,

Hamelia-Brunsvigius.

A. & R.

d. 31. Maji in Acroaterio Majori  
horis matutinis.



ROSTOCHII,

Literis exscriptis NICOLAUS KILIUS, Acad. Typographus.

ANNO M. DC. XLV.

57.

*Viro Eximio, Cla-  
rissimo, Præstantis, eruditione  
rebus JOHANNI LEVI  
Cæsar, Irving Doctorando ex  
Favori, ac Promotori suo p. t.  
colendo, Disputationem præsentem  
dem Præstantia in intererati ad  
et sincera amicitia syngrapham  
tam, conferatam, cum voto pre-  
tis omnigena candido et calu-  
lit et offert. Justus Schusler*

1045





VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis,  
Clarissimis.*

DN. TOBIÆ à Deventer / ) Ctis eximiis, & inclu-  
tæ Hamelensium Reip.  
DN. GERHARDO Reichen / ) COSS. gravissimis,  
meritissimis.

*nec non*

*Viro plurimum Reverendo, Clarissimo, Humanissimo,*  
DN. HENRICO SANNEMANNO, Phi-  
losophiæ Magistro, Ecclesiæ patriæ Pastori, ac Su-  
perintendententi dignissimo, ejusdemq; Lycei Inspectori  
vigilantissimo.

*ut &*

*Eximio, morum doctrinaq; elegantia Politissimo, Præstantissimoq;*  
DN. JOHANNI LEVINO Särber / Jurium  
Doctorando, Amico, & Sympatriotæ  
suo svavissimo.

Dnn. Mœcenatibus, Promotoribus, ac  
Evergetis suis omni observantiæ & reve-  
rentiæ cultu æviternum prosequendis,



*In memoris maximorum beneficiorum, & aternum  
debitoris animi indicinam, uberioris vè stu-  
diorum, suiq; promotionis invitationem fac-  
sum huncce Academicum Theologicum*

Offert, Dicat, Consecrat

JUSTUS SCHÜSLER, Hameliâ-  
Brunsvigius A. & R.





Erissimè Theologorum ille facilè prin-  
 cept Lutherus stante, ait, justificationis articulo  
 Ecclesiam stare: eoque convulso & infirmato si-  
 mul labi ac corruere eam. Et verum vatis  
 hujus divini elogium esse quis non videt? Hic  
 enim articulus est unicum & βέβαιον Ecclesia presidium, praci-  
 puumq; propugnaculum, quo nixa non omnes duntaxat morta-  
 lium vires dolosve masculè superare & effugere prevalet. sed  
 etiam contra omnes inferorum portas, omnesq; Diaboli machi-  
 nas stat immota & inconcussa. Cum autem Diabolum salutis  
 Ecclesie hostem infensissimum non fugiat, universam celestem  
 doctrinam hoc justificationis articulo niti: hinc omni memoria  
 homines turpissima herefeseos sordibus oblitos, eiq; mancipatos ex-  
 citavit quàm plurimos, qui hunc maximè arduum articulum  
 miris modis oppugnatum, eumq; multis densissimis erroribus in-  
 volutum inverunt. Etenim Satanas certo certius sibi persuasum  
 habet, articulo hoc vel obscurato, vel adulterato, vel penitus  
 subverso doctrina Evangelica veritatem suo in vigore retineri  
 non posse, hominemq; eo excidentem ignorantem DEI & idolo-  
 tram fieri: ut in eo εἰσωνυῖος & in speciem summa appareat  
 bonitas, singularis DEI cultus, & admiranda vite sanctimonia,  
 que sublata hac basi non nisi merum errorem, hypocrisin, impie-  
 ratem & idolatriam sapiant. Cum igitur in hac justificationis  
 doctrina conservanda tanta sit necessitas & conservata dignitas  
 tanta, ut hac jacente omnis veritatis cognitio sepulta a jaceat,  
 quin planè pereat: eaq; florescente, nulla non florescant bona.  
 vera religio se latius diffundat, sincerus DEO cultus exhibea-



*rar, & gloria Tonantis DEI promoveatur & amplietur: non  
 abs re duximus, ut quantum viricula nostra patiantur, pro hu-  
 jus articuli incolumitate ceu pro aris & focis laboremus, eumq;  
 ab omnibus fadisimis navis & corruptelis, quibus ab Heretico-  
 rum colluvie aspersus & affectus est, vindicemus. Ne verò illotis  
 (quod dicitur) manibus ad materiam hanc maximè arduam  
 nos accingamus, supremum Numen incensis fide precibus vene-  
 ramur, ut conatibus nostris piis gratie sue divina favonio adspi-  
 rez, eosq; sibi gratos, Ecclesia salutares, nobisq; proficuos esse  
 jubeat.*

## T H E S I S I.

**Q**uandoquidem solemne est adversariis cumprimis  
 Pontificiorum antesignano Bellarmino vocum ambiguitate lu-  
 dere, & incautiorebus glaucomam ob oculos objicere, non obsuerit  
 terminorum quorundam in hac materia occurrentium enodationem  
 præmittere: tum ne Andabatarum modo præliemur: tum ut facilio-  
 rem & feliciorum ad arcem ipsius materiae deinde invadendam aditum  
 nobis struamus.

§. 2. Et (N) vocabuli justificationis & B justificare genuina si-  
 gnificatio nobis hinc inquirenda venit, quam cum illa, quæ in foro hu-  
 mano attenditur, coincidere merito asserimus, quod aliquot argumen-  
 tis probatum imus. Quippe (α) nec in Hebræa, Græca, Latina, & Teu-  
 tonica lingua voces istæ aliter accipiuntur. (β) ipse sacer codex passim  
 forenses vocum harum significationem amplectatur. Utenim in foro  
 humano justificari illos dicimus, qui à reatu scelerum, quorum accusa-  
 ti erant, liberali adierunt causa manu (quem sensum scriptura admit-  
 tit Deut. 25. 1. Prov. 17. 15. Ef. 5. 23. 2. Sam. 15. 4.) Sic mutuato ab illo  
 usu forensi vocabulo coram DEO justificari dicuntur, qui coram tri-  
 bunalis DEI constituti, & ad thronum gratiæ confugientes, propter  
 Christi meritum à reatu peccatorum absolvuntur, ab æterna conde-  
 mnatione liberantur, justiq; declarantur. Conferantur loca Job. 9. 2.  
 Psal. 143. 3. Luc. 18. 14. & alibi. Et verissimè! cum in sacro codice men-  
 tio fiat rei, hominis scilicet peccatoris; qui ob peccata coram tribunalis  
 summi DEI sistitur, Rom. 3. 4. Jud. 9. 14. Debiti: Matth. 18. 27. seu Pec-  
 cati



cati quod reum in jus vocat Rom. 3. 19. & à DEO reum sequestrat. Ef. 59. 2. Tribunalis: coram quo reus sistitur. Psal. 99. Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10. Accusationis & condemnationis: cum ipsa lex peccatorem accusat, terret, & condemnat Rom. 4. 15. ita ut conscientia peccatoris afficiatur, & serio iræ divinæ sensu prematur, & anxie circumspiciat, an & quomodo à sententia judicis condemnatoris lata liberari possit Hinc illæ lacrymæ Davidis & Pauli! Psal. 130. 3. Psal. 143. 2. Rom. 7. 24. Quis quæso tam mentis inops & obesa naris, qui hæc omnia ad forum humanum pertinere videt, ad forum trahi & restringi divinum posse diffiteretur? (y) ipsæ sacræ literæ nos eò deducunt, ut fateri necesse habeamus, voces istas non nisi in significato forensi accipiendas esse, dum nobis justificationem hominis per phrasas æquipollentes exhibent, ut per imputare justitiam, item fidem imputari ad justitiam Rom. 4. 3. te gere iniquitates, & non imputare peccatum Psal. 32. 1. 2. Rom. 4. 7. non venire in judicium h. e. non judicari, non condemnari. Joh. 3. 18. remittere peccata Joh. 20. 23. Act. 13. 38. & 20. 43. absolvi à peccatis Matth. 18. 27. Hæ sanè phrasæ æquipollentes quæ in hoc articulo sunt Synonyma, nobis egregiè depingunt judicium divinum. (d) E contrario ejus pro-palam est. Cum condemnatio sit vox in foro humano usitata, quando maleficus ad supplicium sententiâ judicis condemnatur. Par ratio in foro divino. Hinc manifestam antithesin gentium D. Paulus nobis in epistolâ ad Rom. c. 8. 33. exhibens: Quis accusabit, inquit, electos DEI? DEUS est qui justificat, h. e. à peccatis absolvit, & à condemnatione liberat: Quis ille qui condemnet? conferatur locus insignis Act. 13. 38. Et (e) omnes Christianæ religionis sinceritate imbuti Patres evidentiâ testimoniorum divinorum convicti hanc veram & genuinam vocabuli justificationis &  $\mathcal{J}$  justificare significationem esse animadvertunt & agnoscunt. vid Aug. l. 2. contra Julian.

§ 3. Pontificij vero vocabulum justificationis &  $\mathcal{J}$  justificare, compositionem in hac voce similem cū illâ, quæ est vocis sanctificationis vivificationis & c. urgentes, clamitant, quasi positivè expulsa una qualitate, aliam inducere significet. Ut justificare idem sit, quod ex non-justo justum facere infuso justitiæ habitu: Sicut sanctificare ex non-sancto sanctum efficere infuso sanctitatis habitu notet. Quod homo propter infusum aliquem divinitus justitiæ habitum sit revera coram D.E.O. justus, hæc q; in hærenti justitiæ æternæ vitæ heres habeatur.



§. 4. Sed quis hujus rei absurditatem non advertit? Cum vel ætas Ciceronis, reliquiq; Latini profani scriptores hunc vocabuli iustificandi usum planè ignorent: hinc etiam suam Pontificij Latij sermonis ignorantiam produunt, quod ipse Pontificius Costerus approbare non erubuit. Quomodo enim (si juxta Papicolarum mentem vox justificationis accipienda esset) explicares locum Es. 8. 13. Sanctificatio Jehovam exercituum? ex non-sancto Jehova sanctum facite? Egregia sanè explicatio! quæ in æternam & mutationis expertem Jehovæ sanctitatem impingeret. Deinde sanctitatis dictio etiam de hominibus usurpata non semper habitum inhærentem, sed sanctitatem Christi nobis imputatam quandoq; denotat, sic Christus ut nostra est justitia, sic etiam nostra sanctificatio dicitur, 1. Cor. 1. 12. conf. Act. 26. 18. Eph. 5. 26. 26. Hebr. 10. 29. DEUS enim homines, etiam si sint injusti, & peccatis infecti, propter Christi justitiam & sanctitatem, quæ merito ejus obedientiæ definitur, justificat, h. e. à peccatorum reatu liberos pronunciat, justosq; reputat, quasi nullis peccatorum sordibus antea polluti essent. Quæ Christi justitia & sanctitas nobis appropriatur, quasi planè esset nostra, sub quâ peccata nostra tanquam sub umbraculo tecta manent, usq; ad mortem: non aliter, ac si mendici corpus ulceribus scatens indumento insigni ac splendido summi alicujus Dynastæ filij tegeretur.

§. 5. Quod si hanc sanctificationis significationem illis largiremur, cujus tamen oppositum est comprobatum, num statim idem de justificandi dictione dicendum foret? Cum inter sanctificationem & justificationem maxima sit disparitas: sicut eandem inter sanctitatem & justitiam agnoscimus. Sanctitas enim vitæ est in prædicamento qualitatis: Justitia verò in relatione, & nobis imputatur. Deinde sanctificatio est justificationis effectus. In sanctificatione enim non silitur homo DEO judici tanquam demum reconciliandus & justificandus, sed tanquam DEO reconciliata, justificata, inq; gratiam acceptata persona, quæ adminiculis Spiritus S. viam mandatorû divinorû currit, & pietati, sanctitati, omnibusq; Christiano homine dignis virtutibus, quoad potest, operam navat. In justificatione verò, quando homo ad tremendum DEI tribunal constitutus, ad æternæ ejus justitiæ peccatis nefandis ad indignationem provocata satisfactionem reddendam compellitur, DEUS non infusus quaspiam virtutes, aut inhærentem justitiam respicit, qui ppe quæ est panno menstruata: similis Es. 64. 6. laborat imperfectione, & se-



& severissimi judicii rigerositatem sustinere nequit. Hinc semper sancti laceratis propriae justitiæ pannis abjectis obedientiæ & satisfactionis Christi purpurâ nuditatem suam obtexerunt.

§. 6. Deinde (2) vocem justitiæ hic non sensu Philosophico, quatenus illa vel totum virtutum chorum includit, teste Philosopho 1.5. Eth. c. 3. &c. vel justitiam particularem, vel obedientiam cuiusvis inferioris erga leges sui superioris, quæ quasi pars aliqua justitiæ universalis est, vel fidem & veritatem promissionum notat: nec sensu Pontificio, de quo vid. Meisn. sect. 1. p. 207. sed sensu orthodoxo accipimus, quatenus illa in justitiam legis & Evangelii, vel in acti vā & passionem (docente Luthero) dispescitur.

§. 7. Occurrit (3) vox justitiæ fidei, & justitiæ DEI, quæ quidem nobis est eadem: sed Antagonistis nostris diversa. Priorem Pontificiâ arripiunt, & per rectitudinem aliquam internam definiunt, secundum quam homo erga DEUM & proximum rectè ordinatur, & in nostra operum justitiâ legi divinæ conformi acquiescit, cujus gratia DEUS jure & ex debito vitam æternam cum omnibus bonis ceu meritum piis tribuat oportet vid. Bellarm. l. 1. d. justif. c. 1. Verum illa Pontificiorum assertio è diametro opposita est justitiæ fidei, cum hæc ipsa sit merè legalis justitiâ h. e. in lege revelata. Jam vero Apostolus dicit sine lege revelari justitiam DEI in Evangelio, quando homo à rigore tribunalis severissimæ justitiæ exemptus ad thronum gratiæ & misericordiæ divinæ unice confugit, ibidemq; non sua opera jactat, sed in DEI misericordiâ salutis suæ asylum quærit. Immo manifestè Paulus eam à justitiâ fidei distinguit Rom. 4. 13. & seq. Phil. 3. 9. Hinc ex justitiâ legis nulli mortalium confertur salus, quippe quæ iram operatur Rom. 4. 15. non vivificat. Gal. 3. 21. occidit, & damnationem prædicat 2. Cor. 3. 6. 9. nos execrationi obnoxios reddit Gal. 3. 10. & in servitute generat Gal. 4. 24. Sed unice justificamur justitiâ fidei, quæ est manus, quâ Christum cum omnibus humano generi partis beneficiis apprehendimus, nobisq; salutariter applicamus.

§. 8. Posteriorem Oslander ambitionis & superbiæ typho inflatus per ipsam essentialem DEI justitiam definivit, secundum quam DEUS in homine habitat, eumq; justificat. Sic enim in libr. contr. Alex. Aleium Scotum f. 8. lit. G. scribit. *Doceo Christum mortuum esse pro peccatû nostris, legem pro nobis implevisse, DEUM nobis propitium reddi,*  
disc.



*asse, & remissionem peccatorum nobis promeruisse. Hæc ubi credimus  
 Christus in nobis habitat, & est nostra justitia secundum divinam ejus na-  
 turam, juxtaquam cum Patre & Spiritu S. est una essentialis justitia.   
 quasi d. Christus secundum Deitatem nobis inhabitans, adq; bene o-  
 perandum instigans nostra essentialis est justitia. Ad cujus blasphemi  
 dogmatis comprobationem miserè tortis locum Jer. 23. 6. cum ex indu-  
 bitato DEI verbo constat, Christum; quatenus est mediator DEUS &  
 homo in ubitate *ὑποσχωσως* nostram dici justitiam, qua coram DEO  
 consistere queamus. confer Ef. 53. 12. & Rom. 15. 19. Sed quis palpabi-  
 lem hujus Osiandri assertionis absurditatem non videt? Si enim in ho-  
 mine esset essentialis DEI justitia, cujus intuitu DEUS hominem ju-  
 stificaret, sequeretur ipsam DEI essentiam in homine dari, adeoq; ho-  
 minem per miram *μεταμόρφωσιν* Deificari. O absurdorum absur-  
 dissimum! Deinde una duntaxat & simplicissima in DEO est essentia,  
 quæ omnis expers est multiplicationis: jam illa utiq; si cuivis individuo  
 justificato essentialis DEI justitia communicari posset, multiplicaretur.  
 Quæ non insignis absurditas! Tertio essentielles DEI filii efficeremur,  
 cum unum tantum essentialem DEI Filium Scriptura agnoscat, de quo  
 ipse DEUS Ps. 2. 7. confer Joh. 1. 14. c. 3. 16. 1. Joh. 4. 9. Quis & hanc non  
 palparet absurditatem? Nos verò utramq; dicimus illam justitiam esse,  
 quam DEUS per verbum & Spiritum S. in regentis operatur. Dici-  
 tur autem justitia DEI, quia DEUS eam in in credentibus creat. Hinc  
 pulchrè Lyra: *Gratia justificans de potentia subjecti non educitur, sed in  
 anima à DEO creatur.* Et est nihil aliud quam bonitas & misericordia  
 DEI, quæ non intrat nobiscum in judicium, Psal. 143. 2. sed gratis nobis  
 peccata propter Christi meritum vera fide à nobis apprehensum con-  
 donat. Hinc dicitur justitia fidei, quia per fidem credentes eam sibi ap-  
 propriant, sive illis per fidem justitiæ Christi innocentem imputatur.  
 Hinc etiam ab Apostolo dicitur fides imputata Rom. 4. 6. Credentes  
 enim hac justitiæ fidei veste induti auepant DEI gratiam, & gratuito  
 justificantur.*

§. 9. 7. Voces Gratia & Gratis discutiendæ veniunt. Quarum  
 vox Gratia est *ἡ τῶν πολλὰ χάρις λεγόμενην*. Usitatissima vero & prin-  
 cipalis in sacris literis ea est significatio, quæ gratuitus DEI favor, beni-  
 volus ejus in homines affectus, stupenda misericordia, & admiranda  
 ejus



ejus dilectio, qua credentes complectitur, insinuat. Reliquæ minus principales à principali hac dependent. Ut quando (a) gratuita Spiritus S. dona credentibus infusa notat, 1. Cor. 1. 4. Eph. 4. 7. 1. Pet. 4. 10. (b) compensationem doni gratis dati Luc. 17. 9. (c) gratiositatem sive comitatem, quâ quis bonorum amorem & benivolentiam sibi comparat, Luc. 2. 52. Act. 2. vers. ult. Et (d) eleemosynam, sive (ut Erasmus vocem *χάριτ* reddidit) beneficentiam. Videatur Chemnit. in L. C. l. d. Justif. A potiori recedunt Pontificij, qui voce *χάριτ* ea intelligunt dona, quæ DEUS homini largitur, quorum vé intuitu homo à DEO justus declaratur. Sic obedientia Abrahami, Josephi castitas, Davidis pietas &c. est illis ea gratia, quâ à DEO exornati justitiam & vitam aeternam sibi promeruerunt. Sic adhuc hodie sub titulo castitatis, paupertatis, jejunii, obedientiæ, patientiæ &c. eam venari se jactitant gratiam, propter quam coram DEO nõ sibi duntaxat justitiam promerere, sed eam etiam, ut *ὑπερβαλλόντων* sive superabundantè aliis communicare posse impie nugantur. Sed misere hallucinantur! Etenim Scriptura S. nullã ejusmodi gratiæ mentionem facit, quâ (ut subdola eorũ mens augurat) justificari coram DEO possimus; sed potius verã fide, quæ sufficientissimo Christi *λύτρον* innititur, omniaq; nostra opera & merita, qualia qualia etiam sint, excludit, nos justificari solidè affirmat. Ipse Apostolus, electum Tonantis organum, Abrahamũ fide justificatum, & credentes, qui vestigiis fidei, quæ in præputio patris Abrahami fuit, ingrediuntur, fide justificari *ἐν ἐδράσ* concludit, videantur loca Rom. 3. 28. c. 4. 11 12 Gal. 3. 6. Jac. 2. 23 Deinde justificationem nostram soli misericordiæ divinæ attribuit, Eph. 2. 4 seq. quam in omnibus animæ corporisq; viribus inveniri negat. confer. Psal. 115. 1. Quin istos habitus in Pontificiorum cerebellis natos & confictos planè removel. confer. 2. Cor. 3. 5. Immo omnes sancti, quando à DEO justificari contendunt, non ad sua ipsorum opera, propriamq; justitiam, sed ad solam DEI misericordiam unicè confugiunt. Hinc Davidem passim in suis Psalmis de propriæ justitiæ, qua coram DEO justificari possit, carentia, conquerentem audimus! Jobum de propria justitia desperantem! Daniele humiliter orantem! Paulum in sua ipsius justitia non acquiescentem! Quin & totam Judaicam Ecclesiam ingemiscentem! Domine ne respicias justitias nostras, quæ sunt ceu pannus menstruata. Es. 64. 6. Hinc gratiam ju-

B

stifican-



ficantem non esse qualitatem seu habitum nobis infolium, sed gratuitum DEI favorem notare, firmiter concludimus. vid. 2. Tim. 1. 9.

§. 10. Vox Gratis, cui græcum δωρεάν & Hebr. דָּרַן respondet, ejusdem cum voce gratiæ est significatus. Opponitur autem pretij solutioni, & semper mercedem, satisfactionem, & pretium excludit. Gen. 29. 25. Exod. 21. 2. Num. 11. 5. 2. Reg. 24. 24. Matth. 10. 8. 2. Cor. 11. 7. 2. Theff. 3. 8. Apoc. 21. 6. Hinc in articulo justificationis dicimur gratis salvari & justificari, cum nullum respectu nostri interveniat meritum, nullum opus, nulla bonitas, satisfactio nulla, sed potius in nobis aliquid inveniatur, quod tantum abest, ut nobis amissam salutem & æternæ vitæ gaudia restituat, ut potius ad æternos barathri cruciatus nos abripiat.

§. 11. Vox Fidei (7) occurrit, per quam non intelligimus ejusmodi fidem, quam heretici jactitant, qui erroneas falsasq; opiniones ipsi salutis fundamento repugnantes amplexantur, fovent, & pertinacius defensitant. Cum enim hereses operibus carnis annumerentur. Gal. 5. 20. in hereticos veram fidei ἀληθοφροσίαν cadere posse quis non negabit. 2. inanem fidei persuasionem, quam Epicuri de grege porci, omnesq; impoenitentes sibi somniant, qui passim illicitas voluptatum, illecebras sectantes impietatem nihilominus & gratiam divinam sibi polliceri non verentur, nec 3. fidem historicam & generalem, quæ etiam in hypocritas cadit Act. 26. 27 & ipsis dæmonibus non ignota est, Jac. 2. 19. nec 4. fidem miraculosam seu extraordinariam, de qua Paulus 1. Cor. 12. 5. c. 13. 2. & Salvator Matth. 17. 20. quæ hodie statuminatâ Ecclesiâ amplius ordinariè cessat, & nequicquam aliæ extra verbum DEI revelationes de fide & doctrinâ expectantur; sed veram, Evangelicam, fiducialem, non suis operibus, sed Christi merito incumbentem fidem hic intelligimus.

§. 12. Prægestatis jam & examinatis paulò prolixius terminorum quorundam hac in materia occurrentium ambiguitatibus ad ipsam justificationis definitionem descendimus, quam secundum causam ejus efficientem, formatam, materialem, & finalem consideraturi sumus.

§. 13. Talem verò justificationis definitionem damus. Justificatio est actio DEI, per Evangelium hominem fide vera nitentem Christi Salvatoris sui merito à peccatis absolventis, perq; fidem illi perceptam Salvatoris justitiam imputantis.

§. 14. No.



§ 14. Notetur autem justificationis nostræ causa efficiens principalis, quæ est ipse DEUS Rom. 8. 12. Joh. 3. 16. Gal. 4. 4. qui solâ gratuitâ bonitate, gratia, misericordia, voluntatis suæ beneplacito, & dilectione credentes per Filij sui obedientiam justificat & gratis salvat. Nec à negotio justificationis reliquas Divinitatis personas excludimus, cum singulæ suas in eo operationes habeant, singulæq; suas retineant proprietates. Sicuti opera Trinitatis ad extra sunt indivisa. Ita Pater celestis mittit & destinat filium ad salvandum lapsum genus humanum. Deut. 18. 18. Psal. 2. 6. 1. Cor. 1. 30. Filius passione & morte suâ acerbissimâ nobis justitiam & vitam æternam deperditam restituit. Nec Spiritum Sanctum in hoc justificationis negotio otiosum videmus? Hujus enim efficaciam Christus in utero Mariæ conceptus Luc. 1. 35. & unctus est. Joh. 1. 32. confer. Luc. 4. 18. Hic per Prophetas redemptionem generis humani per Christum Mediatorem prædixit. Immo Apostolus nos per nomen Domini JESU CHRISTI, & per Spiritum DEI nostri justificatos esse scribit 1. Cor. 6. 11.

§ 15. Causa efficiens impulsiva nostræ justificationis est gemina: Una interna *προηγυμένη*, quæ est immensus amor, & imperscrutabilis DEI misericordia, & bonitas, quâ motus DEUS Filium suum, unigenitum Salvatorem & Redemptorem generi humano lapsu mittendum decrevit. Joh. 3. 16. Rom. 8. 32. Altera externa *προκαρκτική*, quæ est partim extrema & desperata nostra infelicitas, & subsequens æternum duratura condemnatio. Hæc est illa causa, quæ DEUM Patrem caelestem, ut infelicissimæ mortalium sortis miseretur, commovit! Hinc Ecclesia: *Da jammers GOTT in Ewigkeit mein Elend vber die massen.* Homo enim miserrimus post Tragicum protoplastorum lapsum è faucibus & potestate peccati, mortis, & Diaboli propriis viribus redimi non potuit: Quod ipse regius Psalter fatetur Psal. 49. 8. 9. Quod autem humanis viribus detractum erat, illud DEUS O. M. pater ille misericordiarum, per Filii sui sufficientissimum *λύτρον* supplevit. Rom. 8. 3. partim Christi *θεανδρώπια* satisfactio, sive totum Christi Mediatoris officium, quod dicitur causa nostræ justificationis meritoria. Christus enim morte sua nobis justitiam, quâ coram DEO consistere possimus, promeruit. Hinc DEUS iræ suæ propter Filij acerbissimam mortem satisfactum videns, nos huic verâ fide adhærescentes gratis ju-



ificat. conferantur iocæ Scripturæ Eph. 1. 3. 4. 6. Act. 4. 12. Rom. 3. 24. 25.

§. 16. Sed regeris Christi meritum est alienum, quod DEO sal vâ iustitiâ suâ pro peccatis generis humani acceptare non licet? Respondeo 1. Quemadmodum Christi nativitas non sibi sed nobis profuit, Ef. 9. 6. sic etiam passio & mors Christi acerbissima non in suum sed nostrum cessit emolumentum. Christus enim legem, quam nos implere non valebamus, pro nobis *in gånõs* implevit. Math. 5. 17. Gal. 4. 45. à legis maledictione nos liberavit, Gal. 3. 13. Chirographum, quod adversus nos erat, delevit, idq; affixum cruci è medio sustulit Col. 2. 14. nobisq; æternam invenit redemptionem, Hebr. 9. 12. (2) DEUS utiq; salva iustitia sua meritum alienum pro peccatis acceptare potest, dummodò perfecta præstetur satisfactio. Sic creditor persoluto debito acquiescit, non expendens à quo sibi ex asse sit satisfactum. Ita in mysterio redemptionis nostræ iustitia divina bonitate & misericordia DEI interventu pretiosissimi Christi *λύτρης* est temperata, ut in illo penitus acquiesceret.

§. 17. Causam materialem, sive rem illam, quam DEUS homini peccatori pro iustitia imputat, negamus esse essentiam divinam, ut Osiandricus Spiritus somniat; hanc enim nihil reale in nobis esse, sed puram relationem, constanter affirmamus, nec ullum aliquod in nobis bonum opus, aut qualitatem, sive habitum charitatis infusum, ut Stanckarus & ejus asseclæ nugantur: sed obedientiam Christi activam & passivam esse, asserimus.

§. 18. Sciendum autem illa esse terminos in Scholasticorum Lycaea investos, cum (testante Apostolo Philip. 2. 6. & seq.) una duntaxat sit obedientia, placuit tamen Scholasticis bonæ distinctionis ergò hisce uti vocibus, ad ostendendum Christum & agendo h. e. Legi se submittendo, & patiendo h. e. cruciatibus ingentibus & morti acerbissimæ se subjiendo amissam nobis salutem reparasse. Hinc etiam alio nomine salutantur obedientia vitæ & mortis. Vitæ: qua Christus per omnem vitæ cursum se voluntati paternæ in lege præscriptæ subjecit. Mortis: quâ ipse sese, ut ovem patientem ad occisionem ducendam, & agnum, coram tondente se, obmutescentem, osq; suum non aperientem. Ef. 53. 7. tempore passionis exhibuit, quando propter nos nostramq; salutem post devoratos & exantlatos ingentis corporis animæq; cruciatus in arâ crucis expirare non recusavit.

§. 19. Pho-



§. 19. Photiniani Christum sua morte pro peccatis nostris satis fecisse, nosq; DEO reconciliasse, simpliciter negant. Quod contra catholicam Scripturæ S. veritatem furiosè propugnant. Vid. Catech. Raycov. p. 260. 273. 274. &c. Pro posteriori passivâ sive mortis Piscator Herborensis impigrè laborat, quâ nos justificari tantùm nequicquam piscatur, quasi Christus activæ pro se ut creaturâ DEI, & ex Abrahæ familia progenito indiguisset.

§. 20. Verum utramq; nos ad nostram justificationem pertinere contendimus. Activam: qua ipse Legi obediens factus totam legem perfectissimè pro nobis implevit. Matth. 5. 17. Rom. 5. 19. Gal. 4. 4. Hinc etiam dicitur à Paulo τὸ νόμον τέλει. Quæ vox τέλει duo & complementum rei & vectigal involvit. Utrumq; de Christo pulchrè dicitur. Quippe in eo omne, quod lex requisivit, desit. Et sicut præternavigaturis portum vectigal est solvendum: Sic Christus Salvator, pro nobis legis vectigal solvit, quo Mosen in lege tonantem, & tela maledictionis in transgressores ejus vibrantem pacavit, truculentam Satanæ in lapsum mortalium genus sævitiam confregit, mundi in malo sepulti 1. Joh. 5. 19. insidias detexit, conscientiam peccatoris fluctuantem sedavit, ita ut superatis omnibus undosi hujus vitæ pelagi adversitatum scopulis, tentationum procellis, & angustiarum montibus, æternorum gaudiorum portum immunes contingere valeamus.

§. 21. Hæc vero obedientiâ activâ Christus pro se non indiguit, cum esset omni lege superior, quin dominus legis: nec natura Christi humana solùm in ista obedientia præstanda per se agit, sed totum ὑφιστάμενον (unigenitus λόγος) est illud agens, quo Filius DEI non minus sese legi subjecit, quàm acerbissimos mortis cruciatus sustinuit. Hinc facile corrui Piscatoris, dogma, Christum activæ pro se ut creaturâ DEI indiguisset docentis: Cum Christus ratione suæ personæ, & pro se legi non esset obnoxius. Quod autem ipse legi se submittit, eiq; omnibus numeris absolutam præstitit obedientiam, in nostrum cessit emolumentum. Gal. 3. 13. 14.

§. 22. Atq; hæc activa Christi obedientia fuit perfectissima, quippe quæ nullo originali aut actuali peccato scaturit. Est enim Christus juxta divinam naturam sanctus sanctorum Dan. 9. 24. Hinc illud Angelorum Trisagium! Sanctus Sanctus Sanctus. Es. 6. 3. confer 1. Pet. 1. 15.



1. 15. Hebr. 7. 26. Et secundum humanam ejus naturam essentiali sanctitate personaliter ornatus, cumq; ea unum ἀδελφεον ἰφιστάμενον factus est. In simul Salvatoris humanitas in temporis plenitudine perfectissimo omnium virtutum habitu condecorata atq; nobilitata fuit, quarum non infima est Christi obedientia, quæ omnium Angelorum hominumq; sanctissimorum obsequia perfectione quadam incomparabiliter scilicet blimiori transcendit, in nullum usquam DEI præceptum impingit, & omni ex parte legi divinæ conformis est.

§. 23. Dicitur autem hæc activa Christi obedientia jure meritisissimo infiniti meriti, ut ut actus ejus certi temporis periodo duranti- bus summæ Christi exinanitionis diebus circumscriptas fuerit: Etenim peccata nostræ inobedientiæ licet actu sint finita, reatu tamen illa infinita esse quis negaret? quum infinitam atq; æternam DEI justitiam lædant. E contrario Christi obedientia actu quidem fuit finita, ratione verò meriti est infinita, quippe quæ ab infinita persona (unigenito scilicet DEI filio) proficiscitur. confer Apoc. 13. 8.

§. 24. Passivam: qua ipse incomparabili integritate, vitæq; sanctimoniam imbutus & condecoratus sanguinem suum pro nobis largè profundendo, mortemq; acerbissimam subeundo, ignem iræ divinæ fragrantem extinxit, lapsum genus humanum ex Diaboli mortisq; faucibus eripuit, atq; æternam nobis invenit justitiam. Cui ad stipulantur evidentiæ illa atq; illustra utriusq; fæderis testimonia, quæ de hac passiva Christi obedientia loquuntur, eamq; unanimi contestantur ore. Gen. 3. 15. Es. 43. 25. c. 53. 5. Zach. 9. 11. c. 13. 7. Joh. 3. 14. Rom. 3. 24. Ephes. 5. 25. 1. Joh. 1. 7. Ex quibus & infinitis aliis Scripturæ locis (si mihi eorum magnam liceret facere messem) Christum passione & morte sua acerbissima (vaticinante Daniele c. 9. 24.) consummatâ prævaricatione, peccato ob signato, & deletâ iniquitate sempiternam nobis adduxisse justitiam, indubitato concludimus. Huc facit illud Symboli Niceni: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de calis. Et pulchrè Erasmus. Solus Christus est, qui condidit hominem, redemit hominem, patri reconciliavit hominem, hominis causa induit hominem, variis Spiritus sui donis instruxit hominem. Breviter solus beat hominem.*

§. 25. Nec ab hac passivâ excludimus activam Christi obedientiam, cum sicut Patris voluntati ex asse satisfaciendum erat obediendo legi:



legi: sic quoq; ira Patris patiēdo placanda erat. Cum autem post miserandum hominis lapsum cum quo ad obedientiam tum quo ad poenam à lege dependeramus, Christum non solum obedientiam, quam nos legi exhibere perfectè non poteramus, in se agendo derivare, sed etiam poenas transgressoribus legis indictas subire patiēdo non tædūt, ut & omissionis defectum activà suppleret, & commissionis peccata passiva expiaret obedientia. Insimul non displicuit ei exundantem nobis invenire justitiam, ut exuberantibus delictis magis tamen exuberaret gratia.

§. 26. Quæ autem sit causa formalis nostræ justificationis, sive illud ipsum, quo in judicio divino consistere queamus, ne legis fulmine ad aternos gehennæ cruciatus detrudamur, sed potius ad aternæ vitæ gaudia recipiamur, paucis videndum. Gemina autem illa à nostratibus Theologis constituitur. Una: quæ in non imputatione peccatorum consistit, & dicitur imputatio negativa, qua nobis ea, nempe peccata, quæ inhaerent, non imputantur. Altera: quæ in imputatione meriti Salvatoris nostri acquiescit, & dicitur affirmativa, qua nobis imputatur justitia Christi, quæ alias nobis non inhaeret. Et meritò ab Osiandri, ut & Pontificiorum dogmatibus formalem nostræ justificationis causam, cum ipsam essentialē DEI justitiam, cujus nos participes fieremus, tum inhaerentes nobis qualitates, sive infusa nobis divinitus dona, cujus intuitu à DEO justii declararemur, constituentium, abhorremus.

§. 27. (α) Dicimus eam consistere in non imputatione peccatorum nostrorum. Quod etiam regius Psalter Pf 32. 1. 2. & ex eo gentium Doctor Paulus Rom. 4. 7. 8. & 2 Cor. 5. 19. Col. 1. 10. evidenter testantur. Hi enim eos prædicant justos, quibus, DEUS peccata non imputat. Quod verò Scriptura S. nonnullos justos deprædicat, ut Noachum, qui dicitur justus, perfectus, & inculpabilis Gen. 6. 9. Davidem delitium illud omnipotentis DEI, qui à DEO secundum suam justitiam judicari petit, Psal. 7. 9. & 18. 21. Josiam virum nulli pietate secundum, qui dicitur in omnibus viis DEI incessisse, Deumq; ex totis animæ viribus dilixisse, 2. Reg. 23. 25. 2. Par. 15. 15. Zachariam, & Elisabetham, quos Scriptura, τῆς δικαιοσύνης ἐνώπιον τῆ θεῶ, vocat, πνευρομένους ἐν πάσις τῶν ἐντολαῖς καὶ δικαιοῦσιν τῆ κυρίου ἀμέμπτους. Luc. 1. 6. Simeonem, qui pius & justus in Scriptura audit Luc. 2. 25. Hos non ideo in sacro codice



dice justos dici dicimus, quod illi nullis peccatorum lōrdibus infecti,  
& omnis peccati expertes fuerint, adeoq; propriis viribus sibi justitiam  
istam compararint: sed dicuntur justī (1) justitiā Christi *imputatā*, ut  
disertē testatur Paulus Philip. 3. 9. confer canticum Zachariæ Luc. 1. 78. 79.  
(2) justitiā *inchoatā*, quod ex majori virtutum parte, quibus præ aliis ex-  
celluerunt, commendentur. Hinc dicuntur justī, perfecti, irreprehen-  
sibiles legis divinæ observatores, non coram DEO, in cujus conspectu  
nemo est innocens Ex. 34. 7. cum alias non eguissent ope Messia, in cu-  
jus tamen liberatione proram puppimq; suæ beatitatis posuerunt: sed in  
comparatione aliorum, cum quibus vixerunt, qui eorum sanctam con-  
versationem culpāre justē non poterant, sed potius ab iis in profectu jus-  
titiaē superabantur. confer. Gen. 6. 9. Hinc pulchrē August. in h. l.  
Ex hominum, inquit, qui sunt in terra, comparatione laudatur, proinde  
omnibus qui tunc in terra justī esse potuerunt, excellebat: non ergo ipse  
ideo nullum peccatum habebat, quia in profectu justitia ceteros antebat.  
Verum enim verō quis prædictos omnes gravissimis sese peccatis pol-  
luisse ignorat, nisi qui peregrinus & hospes in sacris literis audire velit.  
Cui non est nota Noachi ebriositas, quā ipse somno vinoq; sepultus, atq;  
denudatus, scandalum non minimum præbuit filio natu minimo? Gen.  
9. 21. Quem fugit nefandus Loti incestus, quem vino obrutus cum  
filiabus suis commisit? Gen. 19. 33. & seq. Cui ignotum est Davidis Re-  
gis adulterium & cædes, qui vitata Uria uxore, ipsoq; occiso, gravissi-  
mē in DEUM deliquit? 2. Sam. 11. 4. 15. 17. Quem præterit Josiæ Regis  
inobedientia, qui contra mandatum divinum cum Rege Ægyptio in-  
structā acie dimicans foedissimē interiit? 2. Par. 35. 23. 23.

§. 28. (β) Dicimus eam consistere in imputatione meriti Salva-  
toris mundi. Hujus enim livoribus sanati sumus Es. 53. 5. hujus sangui-  
ne ab omni emundati sumus peccato 1. Joh. 1. 7. hujus ceu immaculati  
sanguine piorum variis in hoc miserrimo vitæ pelago afflictionibus ex-  
positorum stolæ lotæ & dealbatæ sunt. Apoc. 7. 14. Hinc Apostolus  
exclamans: non inveno, inquit, justitiam, quæ in me est, sed eam quæ  
per fidem est Christi. Philip. 3. 9. & Rom. 8. 1. nihil condemnationis in  
iis esse, qui Christo per ejus Spiritum inserti sunt, firmiter concludit.  
Hæc verō justitia Christi nobis non inhæret essentialiter aut habituali-  
ter, sed sese habet ut indumentum, quod non est in corpore hominis,  
nec pars corporis, sed ejus munimentum & tegumentum: sic justitia  
Christi



Christi quâ coram DEO iustificamur, munimentum & tegumentum est  
sub quo sordes peccatorum nostrorum tectæ latent.

§. 29. Sed hic non nuda planeq; vacua sine ipsius rei veritate  
relinquitur relatio, cum res quæ imputatur nobis, non est nihil. Et  
quamvis res illa nobis habitualiter non inhæret, non tamen illius im-  
putatio nuda & inanis est relatio, cum Christo peccata nostra fuerint  
imposita Es. 53. 6. 2. Cor. 5. 21. & morte ejus expiata. Hæc verò pec-  
cata Christo non inhærebant, licet eidem sic imputarentur, ut effectus  
clamaret, verè in illum peccata nostra fuisse coniecta: cujus typum ex-  
hibuit hircus in desertum impositis ei à summo Pontifice populi pecca-  
tis emittendus Lev. 16. 21. Sic vicissim nobis iustitia Christi imputatur,  
non imputatione reali, sed rationali, h. e. quatenus fundamentum nos  
constituitur in eo cui fit imputatio, sed in relatione &c. quod etiam  
effectus, qui est consecutio remissionis peccatorum & æternæ salutis, e-  
vincit. Hinc non tam aliqua in nobis inhæsiō, quàm nec peccatorum  
nostrorum in Christo somnietur. Atq; hujus imputationis, cujus scri-  
ptura meminit, verus & genuinus est sensus *ut in justificatione id quod  
inhæret nobis, non imputetur, imputetur autem id quod nobis non inhæret.*  
Et sanè frustra Jesuitæ nugantur, quod nihil profit imputatio, nisi in hæ-  
reat, cui imputatur, cum contrarium non solum ex imputatione illa,  
quâ Christo peccata nostra fuerunt imputata, & non infusa: quâ Pau-  
lus delictum Onesimi sibi imputatum vult in ep. ad Philem. v. 18. &  
quâ Christianis sæpissimè gravissima imputata fuerunt scelera, & quasi  
ovcs occisionis reputati sunt: Rom. 8. 36. & Psalm. 44. 23. Verum etiam  
ex aliis Scripturæ locis ut Num. 10. 27. Gen. 31. 15. Lev. 17. 3. Rom. 2. 26.  
abundè & evidenter patet.

§. 30. Atq; hac iustitiæ veste Protolapsti nostri ante lapsū minimè  
indigebant, cum in se nullam nec viderent nec agnoscerent *γυμνότητος.*  
Erant enim in summa iustitia, sanctitate, & innocentia conditi, quâ ceu  
pretiosâ veste induti salvari potuissent. At invidiâ & malitia infernalis  
serpentis nefas! tam nobili vestimento exuti suam tum demum agno-  
verunt nuditatem, quam foliis ficulneis (quæ imaginem bonorum  
operum redolebant) tegere quidem meditabantur, sed irritò successu.  
Opus enim erat meliori veste, quæ ex pelle agni illius immaculati Chri-  
sti Jesu desumenda erat. Hæc est illa vestis iustitiæ & innocentiae  
Christi,

C

Christi,



Christi, quam pater ille grandævus. Luc. 15. 22. vocat stolam primam & optimam, quâ ille ad paupertatis & extremæ miseræ incitas redactus filius amiciebatur? Hæc est illa vestis justitiæ Christi, quam vates ille divinus Esaias vestimentum salutis & stolam justitiæ vocat, quâ indutus & amictus Propheta in Jehova gaudens gaudet? Es. 61. 10. Et nisi hæc justitiæ veste induti & exornati inveniamur, quando ad tribunal judicis severissimi provocabimur, in exteriores tenebras, ubi siletus stridorq; dentium auditur, projiciemur. Matth. 22. 13.

S. 31. Hæc sanè multum lucis affundunt intellectui nostro in refutandis & exigendis Pontificiorum & veterum & modernorum *Phariseis*, quibus veram formalem justificationis nostræ causam impudicè onerant, & impiè destruere conantur. Quorum illi Christum passione & morte sua pro peccato originali non pro actualibus satisfecisse strepunt. Sed ô horrendam blasphemiam! cum plus in opere redemptionis hominibus quàm Christo DEO tribuant. Qui tamen *solus calcavit torcular* Es. 63. 3. *Solus & unus mediator DEI & hominum est.* 1. Tim. 2. 5. Hic est qui nos ab omni redemit iniquitate Tit. 2. 14. Hujus sanguis nos purgat ab operibus mortuis h. e. actualibus peccatis, quæ nos spiritualiter mortuos reddunt. Hebr. 9. 14. conferantur loca 1. Joh. 2. 1. 1. Cor. 6. 9. 10. 11. Hic est, à quo mulier illa peccatrix remissionem peccatorum & originalis & actualium impetravit. Joh. 8. 11. Hic dimisit Zachæo fraudes & imposturas quas exercuerat. Luc. 19. 9. Hic latroni cruci affixo omnium peccatorum suorum veniam concessit. Luc. 23. 43. Quis igitur Christum pro omnibus omnium hominum peccatis passione & morte sua satisfecisse tot claris Scripturæ dictis & exemplis convictus non fateretur? Hi verò, ut subtiliores, & rem acutè terigisse videantur, Christum pro peccatis actualibus etiã mortuum, fatentur, ita tamen, ut pro culpa non pro poena culpæ sit satisfactum. Sed non minorem illi in Christi meritum blasphemiam committunt, eumq; dimidium Salvatorem faciunt, dum omni prorsus eum beneficij hujus laude exuunt, majoremq; redemptionis partem in homines transfundunt. Quæ autem illa à peccati culpa & non ab ejusdem poenæ liberatio dicenda? Dimissa enim culpa sive reatu poenæ propriè sic dictæ amplius locus esse nequit, cum poena nihil quicquam puniat nisi antecedentem admitti peccati reatum. Ergone, cum Christum alieno-  
rum



rum rem sibi attraxisse sciamus, cum ablata culpa etiam poenam simul  
quoniam abstulisse dubitabimus?

§ 32. Nec obstant loca illa Scripturæ, (quibus in nos adversarij irruunt) quæ Christum sanguinem suum pro multis effudisse, animamq; suam pro multis redemptionem dare dicunt: cum illa magis pro nobis faciant. Quis enim tam sit ad prodigium usq; stupidus, ut vocem Multitudinis persæpè in factis universalitatem notare neget, sicut ex collatione dictorum Scripturæ videre est. Etenim locum Salvatoris Matth. 20. 28. se venisse in mundum, ut daret animam redemptionem pro *multis* &c. Apostolus 1. Tim. 2. 6. pro *omnibus* explicat. Et locum Danielis c. 12. 2. *Multi* qui dormiunt &c. Salvator Johan. 5. 28. ita explicat. Veniet tempus in quo *omnes* qui dormiunt in pulvere terræ evigilabunt, &c. conferatur locus Rom. 5. 18. 19. Ubi Paulus per vocem *multi* universalitatem notat. His & alia Spiritus Sancti testimonia addimus, quæ Christum pro *omnibus hominibus* passum & mortuum esse testabuntur. ut Es. 53. 6. *Dominus posuit super ipsum iniquitates omnium nostrum.* Et Joh. 1. 9. dicitur Christus lux illuminans OMNEM HOMINEM venientem in hunc mundum, Confer 1. Joh. 1. 7. c. 2. 2. Tit. 2. 11. Ex his & multis aliis Scripturæ testimoniis Christum pro *omnibus hominibus* esse passum & mortuum, certò concludimus.

§ 33. Medium verò hujus imputationis, quo Christum cum omnibus beneficiis nobis suâ obedientiâ partis apprehendimus nobisq; salutariter applicamus, dicimus esse Fidem. Sicut scriptum est: Credidit Abraham DEO, & imputatum est ei ad justitiam. Rom. 4. 3. 5. per Fidem enim in Christum fit Christi justitia nostra, & omnia bona, quæ illius sunt, imò ipsemet noster fit, ut Megalander Lutherus alicubi loquitur.

§ 34. Et hæc tertia constituitur nostræ justificationis causa, quam ex Prophetarum & Apostolorum testimoniis luculenter evincimus. Ut Gen. 25. 6. & Rom. 4. 3. conferantur loca Joh. 3. 16. Act. 13. 38. Quæ nihil aliud est, quam fiducialis Salvatoris nostri indubiam apprehensio, eamq; tria absolvunt requisita. (a) est notitia. Qui enim justificari vult notitiam habeat necesse est earum rerum, quæ ad salutem consequendam faciunt. huc spectant loca illa Esai. 53. 11. Luc.

C 2

LUC.



Luc. 1. 77. Et Salvator summam salutis æternæ consequens  
in cognitione DEI & missi mundo Messia. Joh. 17. 3. confectæ ponit  
15. 3. (β) ascensus. Non enim ascensum præbeamus oportet. Sed hæc dicitur  
sed etiam certum iis ascensum præbeamus oportet. Sed hæc dicitur  
non dum absolvunt fidem justificantem, cum alias & hypocritæ &  
Epicuri de grege porci, qui hisce duobus requisitis non destituuntur,  
salvarentur, quos Christus damnat Matth. 7. 21. & Dæmones scribuntur  
credere (si notitiam spectes) nec tamen habent spem vitæ æternæ, sed  
contremiscunt. Jac. 2. 19. Hinc (γ) requiritur nobilissima fidei pars,  
quæ est fiducia, sive fiducialis cordis applicatio, quam illi petulanter re-  
spiciunt, hi planè non habent.

§. 34. Quod autem fiducia cordis requiratur ad fidem justifi-  
cantem non est quod dubitemus, cum illa ex sacris literis multoties pro-  
bari possit, ut quæ planissimis verbis fidei (α) *πληροφoρiαν* h. e. cer-  
tam, firmam, & plenam animi de salute nostra persuasionem tribuit  
Rom. 4. 21. Col. 2. 2. Hebr. 6. 11. c. 10. 12. (β) *παρρησίαν*, magnam liberta-  
tem, insignem animi fiduciam, quæ sine omni trepidatione misericor-  
diæ divinæ confidit Eph. 3. 12. Hebr. 3. 6. c. 4. 16. c. 10. 35. 1. Joh. 3. 22.  
(γ) *πεποίθησιν*, firmam persuasionem Eph. 3. 12. Philip. 3. 4. (δ) *ὑπο-  
στασιν ἐλπίζομένων* Ebr. 11. 1. quod Lutherus reddidit, certam expecta-  
tionem, ein gewisse Zuversicht des / das man hoffet. Et notat immo-  
tam fiduciam, immotum fundamentum, quo credens certitudinis suæ  
convincitur (ε) *ἐλεγχον τῶν μὴ βλέπομένων* i. e. certam probationem  
& evictionem rerum non apparentium, ac veluti vivam representa-  
tionem. Quippe vox *ἐλεγχον* notat certum & evidentissimum  
argumentum, quo, ut fateri cogamur, rem ita & non aliter se habere,  
adducimur. conferantur loca Joh. 3. 20. 1. Cor. 14. 24. Tit. 1. 9. 2.  
Tim. 3. 16.

§. 35. Hæc Pontificiorum choro, qui fidem per fiduciam defi-  
niendam, inq; fiducia figendam justitiam negat, opponimus, cum ta-  
men omnes ferè Davidici Psalmi hujusmodi dictis sint pleni, quibus  
priorum in DEUM fides fiducia nomine venit. Ut Psal. 2. v. ult. Psal.  
31. v. ult. Psal. 57. 1. Psal. 118. 8. Sic illa Scripturarum collatio fidem cordis  
fiduciam esse perspicuè docet. Ut vox illa Christi ad Paralyticum *θάραξ  
ἀίματι ἀφίωστί σοι αἱ ἀμώρται σου*. Matth. 9. 2. Et illa ad Hemor-  
rhou-



rhoutan vox: *ἡ ἀποκάλυψις, ἡ μυστὶς τῶν βιβλίων αὐτῶν.* Matth. 9. v. 21. 22.  
Hæc enim mulier intra se certam conceperat fiduciam, fore, ut sanaretur, si tantum simbriam attingeret. Audiamus etiam Esaiam, & ex eo Gentium Apostolum Paulum, qui omnes in DEO credentes non pude-  
fieri asserunt. Es. 28. 16. Rom. 9. 33. Ecquid aliud volunt, quàm quod non pudeant, qui fiduciam suam in DEO collocant? Addita enim de-  
terminatio IN EO, vel IN EUM omninò cordis fiduciam exigit.

§. 36. Nec ab Apostolo fides (ut Papicolæ volunt, citantes lo-  
cum Ephes. 3. 12) à fiducia distinguitur, cum fiduciam erga DEUM pa-  
trem ex fide Christi promanare luculentissimè demonstret. Et licet  
dubitationem fiduciæ oppositam clamitent, ob quasdam privatas cau-  
sas valde lucrosas, quibus everfis periclitarentur & profus neglectæ ja-  
cerent totius regni istius negotiationes, & nundinationes, id abs eis ve-  
hementer urgeri, quivis, nisi meridiano jubare cæcutiat, videt. Nos  
verò incertos istos salutis æstimatores cum omnibus suis indulgentiis,  
missis, supererogationis operibus, ad sepulchrâ, statuas, delubra, & Di-  
vorum reliquias peregrinationibus, quibus nescio quid promereri posse  
valgo persvadent, lubentes linquimus, cum sacrarum literarum monu-  
mentis edocti, per & propter Christi meritum omnia nostra peccata no-  
bis condonata, inq; maris abyssum projecta esse, atq; hominem fide  
Christi merito nitenti justificari, extra omnem dubitationis conceptum  
firmiter credamus.

§. 37. Fidem autem hæc non absolutè, pro ut est in prædicamen-  
to qualitatatis habitus mentis & voluntatis, sive virtus aliqua, considera-  
mus, quippe ea, quæ in nobis præsumitur esse, est multis modis imper-  
fecta, mutila, & ad opponendum tremendo DEI judicio invalida. Quæ  
ex propria ejus dignitate æstimata salutem hominis æternam non pro-  
moveret sed destruit. Relatè verò eam consideramus, quatenus pro ob-  
jecto habet promissiones de Christo Messia. Atq; hujus relationis, quæ  
fidei objectum & fundamentum perfectam se. Christi obedientiam po-  
nit, sacræ literæ non sunt ignaræ. Sic enim Apostolus ait Rom. 10. 11.  
*Omnis qui credit IN EO non pudebit.* Sic ipse Salvator inquit Joh.  
3. 16. *Omnis qui credit IN EUM non perit* &c. confer. loca Joh. 6. 35.  
e. 11. 25. Ex quibus liquet nos per fidem JESU CHRISTI tanquam cor-  
relati quod fides intuetur, justificari. Videatur Apostolus Rom. 3. 22. &  
Act. 16. 17.



§. 38. Nunc universitate anquod obiectum fidei, ut quælibet promissiones in utroq; sædere datas intelligimus, sed speciale, quod nobis gratuitum DEI ingenus humanum favorem & amorem atq; nostrum propter Christi meritum peccatorum remissionem, justitiam, vitamq; æternam pollicetur. Hinc Abrahamum fide in corporalem tantum promissionem de multiplicando semine suo justificatum negamus, cum illa omnium maxime *sub voce seminis* benedictum illud semen ex Abrahamo secundum solemne DEI promissum nasciturum completeretur, in quo tum Abraham, tum omnes familiæ terræ benedicendæ erant. Hinc Apostolus explicans hunc locum semen de Christo exponit, ut expresse scribit Gal. 3. 16. Quod etiam Abraham divinitus illuminatus probè intellexit.

§. 39. Hæc autem fides quandoq; fides in DEUM patrem, quandoq; fides in Christum audit, quæ sibi non contradicunt: nam eadem est fides, quæ fertur in DEUM patrem, gratia sua nos justificantem, & quæ fertur in Filium pretiosissimo suo sanguine nos salvantem: sicut etiam vox illa Christi testatur. *πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε* Joh. 14. 1. Fides enim sua *ἐνεργεία* utramq; nostræ justificationis causam (meritum scilicet passionis Christi, patrisq; cælestis misericordiam) intuetur & apprehendit. Quæ indissolubili invicem sunt copulata nexu, ut extra Christi meritum nulli mortalium misericordia DEI patris obtingat.

§. 40. Et hæc fides sola justificat, non ex se, suaq; dignitate, aut merito ponderata, sed quatenus amplectitur gratuitam DEI promissionem, & in Christi merito ut sufficientissimo *λύτρω* suaviter acquiescit. Hinc exclusiva SOLA non opponitur gratiæ DEI & satisfactioni Christi, quasi vel hæc à justificatione excludatur, vel sine his vi justificandi fides ex nativâ quadam perfectione gaudeat: Sed illis tantum virtutibus opponitur, quæ homini inhaerent, quin & omnibus operibus, qualia vel à regenitis & Spiritu S. adjutus proficisci possunt. Secludit vero exclusiva SOLA (quod probè notandum) non virtutes vel opera à justificata persona, sed ab ipsâ tantum justificatione, ne opera ad divinæ justitiæ adorandum & tremendum tribunal introrumpentia causam se peccatoris in gratiam recipiendi jactitent. Sint autem in homine virtutes, sint bona opera, quibus debitam DEO declarent gratitudinem, proximiq;



proximiq; necessitatem subievent, modo ne tremendum illud iudicij  
divini forum aggrediantur irrumpere, coram quo miser peccator gra-  
tis reconciliatus justificatur, alias foras eliminabuntur, atq; cum Phari-  
saica iustitia Orchestrâ dimovebuntur. Hinc fides tantum abest, ut co-  
ram hoc iudicio suam jactet dignitatem, ut potius in sacrosanctum  
Christi Jesu meritum respiciat. Et hæc demum fides ad iustitiam im-  
putatur: ut Apostolus docet Rom. 4. 5.

S. 42. At pontificij nos Lutheranos plus nimio cavillantur,  
quod sic urgeamus particulam SOLA, cum illa in originali textu nuspi-  
am reperiatur, sed à Luthero Germanis Bibliis ex ingenio suo sit inserta  
& inserta. Verum illis non solum auctoritatem sacrarum literarum,  
sed etiam ipsorum Orthodoxorum Patrum primitivæ Ecclesiæ testimo-  
nia opponimus. Et licet non κατὰ τὴν ὀρθὴν sive totidem literis in scri-  
pturâ hæc phrasis SOLA FIDES JUSTIFICAT legatur, tamen nobis  
κατὰ δόξαν per æquipollentes exclusivas & propositiones illam ex-  
hibet: quales sunt εἰ μὴ. Nisi Gal. 2. 16. Nec malè quadrat vox illa  
Christi ad Jairum: μὴ φοβῆ μόνον πίστευε Marc. 5. 36. Sicut enim ibi Jai-  
rō dicitur, ut semota omni formidine TANTUMMODO credat Chri-  
sto, suppetias fervo optatas laturo: Sic etiam gratiam DEI vitamq;  
æternam TANTUMMODO credendo h. e. sola obtineri fide asserere  
non dubitamus. Jam vero vocis εἰ μὴ hoc est nisi, eandem esse vim,  
quæ est particulæ SOLA, ne adversarij quidem nostri inficiabuntur.  
Hinc Apostolus Rom. 3. 28. nos πρὸς δικαιῶσαι χωρὶς ἔργων νόμος  
scribit & c. 4. 5. homini μὴ ἐργαζομένῳ πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν δικαιῶντα  
τὸν ἄσεβῆ fidem suam ad iustitiam imputari (adducto Psalmi 32. testi-  
monio) affirmat. confer Eph. 2. 8. Rom. 3. 23. 24. Patrum testimonia  
nonnulla adducturi à Basilio exordiemur, qui homil. de humilitate in-  
ter alia sic scribit. *Hæc est perfecta & integra gloriatio in DEO, quando  
nec ob iustitiam suam quæ se jactat: sed novit quidem se ipsum vere iu-  
stitia indignum, SOLA autem fide in Christum justificatum.* Origenes in  
explicat. c. 3. ad Rom. SOLA, ait, *justi gloriatio est in fide crucis Chri-  
sti.* Et pulchrè Bernhardus Serm. 77. *Nolo meritum, quod gratiam  
excludis, horreo quicquid de meo est, ut sim meus, nisi quod illud magis for-  
sitan meum, quod me meum facit. Gratia me mihi justificatum reddit  
GRATIS, & sic liberatum à servitute peccati.* Addo etiam Hesychium,  
qui



qui in Levit. l. i. c. 2. sic scribit. *Miseratus DEUS humanum genus, cum illud ad explenda legū opera infirmatum vidisset, jam non ex operibus salvari; sed per gratiam hominem voluit. Gratia verò & misericordia fide apprehenditur SOLA, non ex operibus.* Vid. Hilarij verba in c. 9. Matthæi. Chrysothomi in ep. ad Gal. c. 1. Ambrosij super ep. ad Rom. c. 3. & 4. &c. Hancq; Propositionem SOLA FIDE JUSTIFICAMUR retinendam esse statuimus, cum, ut omnia nostra opera, aut ulla alias virtutes, quocunq; etiam nomine veniant, & quocunq; etiam prætextu titulo articulo justificationis nostræ immisceantur, ex eo penitus excludamus, tum ut Fidem unicum illud medium atq; instrumentum esse, quo DEI gratia in Christi merito fundata apprehenditur, agnoscamus.

§. 42. Quam optimè verò congruant hæc omnia, nempe nos justificari gratis, per Gratiam Dei, per Meritum Christi, per solam Fidem, observata causarum diversitate patebit. Justificamur gratuità DEI misericordiâ, ceu causâ impulsivâ, quâ motus pater cælestis lapsum genus humanum per Filium ex mera gratia justificare decrevit: Justificamur Merito Christi, ceu causâ meritoria, qui nobis suo merito justitiam vitamq; æternam promeruit: Justificamur solâ Fide, ceu causâ instrumentali, quæ solum & unicum medium, & Instrumentum est justitiam nobis partam apprehendendi, apprehensamq; nobis salutariter applicandi.

§. 43. Sed ut occurramus dubio isti ex Paulo desumpto, qui nos salvari per lavacrum regenerationis Tit 3 §. scribit, sciendum est, duplicia esse salutis nostræ organa sive instrumenta. Quædam sunt & dicuntur ex parte DEI *δοτικὰ* sive *offerentia*, quibus DEUS O. M. hominibus credentibus justitiam & bona cælestia offert, immò confert: qualia sunt Verbum Evangelij, quod est *potentia DEI ad salutem omni credenti* Rom. 1. 16. Baptismus, qui est *lavacrum regenerationis & efficax salutis medium* Eph. 5. 26. Tit. 3. 5. Sacramentum altaris, quod est *communicatio corporis & sanguinis Christi* 1 Cor. 10. 16. Hæc sunt illa organa & media quibus salus nostra partim offertur, partim obsignatur. Unicum verò salutis organum ex parte nostri est *ληπτικόν* sive *apprehendens*, quod gratiam in verbo Evangelij & SS. Sacramentis oblatam & obsignatam amplectitur, & dicitur Fides, quâ ceu mendici manu Christum cum omnibus suis nobis partis beneficiis petimus, apprehendimus, & acceptamus Joh. 1. 12. Hæc est quoddam vinculum, quod nos DEO adunit,



namur. Phil. 3. 9. Quæ distinctio facile solvit dubium illud allegatum ex Paulo, cum Verbū & Sacramenta sint *δοκίμα* organa, sive media, quibus Fides ut medium propinquum à DEO in nobis excitatur. Hæc sunt illa media, per quæ Fidem salvificam Spiritus S. in nobis operatur, atq; à qua deinde salus animarum nostrarum fluit! Hæc ad salutem nostram adeo est necessaria, ut sine ea homo DEO placere vel salvari minimè possit: Illorum verò, licet etiam sint necessaria salutis media (si ordinariam DEI spectes ordinationem,) tamen cum in casu necessitatis DEUS etiam sine illis fidem & salutem in hominibus operatur, non est tanta tamq; stricta necessitas, quæ est Fidei omnium hominum justificationem ingredientis.

§. 44. Quamvis etiam non ignoremus præter enumeratas nostræ justificationis causas alias dari, eas tamen tribus illis primariis subservire tutò credimus, ut quæ nobis gratuitum DEI in nos favorem, meritum Christi, & Fidem salvificam sistunt. His autem dextrè intellectis levi brachio enervamus falsissimas ejusdem causas, quibus hereticorum phalanx hoc salutare beneficium audent adscribere, cum nullo eas solido scripturæ fundamento niti firmà sit nobis mente repòstum.

§. 45. Restat, ut in causam nostræ justificationis finalem paucis inquiremus, quam (α) respectu *ἀξιώμα* DEI, dicimus esse gloriam Jehovah, sive ineffabilis DEI erga genus humanum lapsum misericordiae, & tremendæ erga illud justitiæ documentum (β) respectu verò nostri salutem, & beatitatem æternam. Rom. 6. 22. Huic etiam effecta nostræ justificationis adjungimus, quæ sunt (α) *Reconciliatio cum DEO*, Rom. 5. 10 Rom. 4. 25. (β) *Adoptio*, Joh. 1. 12. (γ) *Pax & tranquillitas conscientiae*. Rom. 5. 1. Ef. 32. 17. (δ) *Donatio Spiritus*, S. 1. Cor. 5. 5. Gal. 4. 6. (ε) *Immunitas à legis maledictione*, Gal. 3. 13. c. 4. 4. 5. *Non enim inquit Apostolus, amplius sumus sub lege* (nos sc. maledicente Deut. 27. 26. & damnationem prædicante 2. Cor. 3. 9.) *sed sub gratia*. Rom. 6. 14. (ζ) *Gloriariorum de spe gloria DEI, & nulli seculorum seculi terminandū vitæ æternæ gaudiis*, Rom. 5. 2. Confer. Rom. 8. 17. &c.

§. 46. Et hæc de hac maximè ardua materia non pro rei dignitate sed ingenij modulo dixisse sufficiant. DEUM verò O. M. humili votorum precumq; cultu veneramur & obtestamur, ut nobis omnibus  
D & singu-



Evangelij lucem contra nequam Dæmonis rabiem, Papæ Romani  
rannidem, Sophistarum oppugnationes, Hereticorum adversationes,  
sincerè agnoscere, eandemq; Spiritus S. auspiciis, ductuq; verbi à Chri-  
sto patefacti defendendam, stabiliendam, & ad seros nepotes propagan-  
dam largiatur. Cui sit Laus, Honor, & Gloria seculis nullo sine termi-  
nandis. Amen.

### COROLLARIA.

1. *An homo regenitus de salute sua certus esse possit? Aff.*
2. *An Gentiles accurata Legis naturæ observatione iustitiam & salutem æternam sibi promerere potuerint. N. contra Zwingl. qui expos. Fidei ad Christianum Regem tom. 2. p. 559 inter alia sic scribit: Videbis ibi in societate sanctorum, sapientium, fortium &c. duos Adamos redimentem & redemptum, Habel, Henoch, Gideon, Samuelem &c. item Petrum, Paulum, Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones &c. De quibus merito illud, quod de Samuele in medio Prophetarum choro varicinanti in proverbium abiit 1. Sam. 10. 11. 12. occini possit: Num & Numa, Catones, Scipiones inter Prophetas, s. inter Sanctorum consortium?*
3. *An ex lege morali homo justificari possit? N. quia nemo hominum eam perfectè implere potest.*
4. *An per bona opera homini salus æterna contingat? N.*
5. *An renati & ad DEUM verè conversi ex operibus justificationem sibi promerant? N.*
6. *An nemo, adeoq; ne infantes quidem, sine fide salventur & justificentur? Aff.*

**F**Ac vitæ melioris iter se ceteris, & illud  
Decurras stadium, quod diæ sanctio legis  
Præscribit; sed non te cælica regna mereri  
Hæc



propter ceme. Tu nobis sanguine tulo  
Christe tuo solus vitam cælumq; parasti.  
Laus sit Christe tibi, te mens pia respicit unum,  
Hæc in te quærit vitam, æternamq; salutem,  
SCHUSLERE hoc urges rectè. Sic itur ad astra.

PRÆSES.

**B**arholæus & Baldus docuerunt legibus aqua,  
Sed Scriptura magis norma probata cluet.  
Ergo facis rectè conando, *JUSTE*, docere  
Justitiam Christi, salvificamq; fidem.  
Pergito sic studiis sacris insistere justè,  
Sic meritis quondam justa brabèa feres.

Amico suo l. mq; posuit

M. ULRICUS AMSEL, Rost. Cant. Mar.

**C**unctorum, postquam Fabricator magnus Jöva  
Rerum mirandâ sapientiâ & arte creasset,  
Cuncta, suo claudit gremio quæ maximus orbis,  
Postremò magnâ & mirâ formavit Adamum,  
Justitiâ primùm pollentem, ast ô dolor ingens!  
Amissa insidiis Satanæ est, namq; invidus illum.  
Decepit Satanas ut nudus factus edendo:  
Justitiæ passus jacturam primus Adamus.  
Justitiæ passus jacturam posteris & omnes.  
Ah dolor! ah nobis hominum quis restituet rem?  
Eja age lætemur, lætemur pectoris imo,  
Unus homo nobis patiendo restituit rem.  
Cælitùs is missus reparavit morte, quod esu  
Pomi perdididerant materq; paterq; priores.  
Offert Justitiâ credentibus omnibus: omnes  
Hinc meritò fundant laudum præconia linguæ  
Grata DEO, ipsius nomen celebrentq; per orbem,

Rectè



Rectè Tu celebras nomen SCHUSLEKE gateado  
Docto discursu proprià quod non homo justus  
Justitià, nisi sit crucifixi sanguine unctus  
Christi: Sis felix caprum pertexere filum.  
Puræ doctrinæ, perge optime Amice subinde,  
Parnassi lætus dum summa cacumina tangas.

JACOBUS Rehbürg/ B. B.

**Χ**ριστὸν ὁμοψύχως οἱ Ἀπόστολοι ἠδὲ προφῆται  
λυτρωτὴν ἔμεναν μαρτυροῦντες βροτῶν.  
Πρὸ κτίσεως Ἰ ἀνδρῶν ἐν ἐγῶ ἐκλέξατο ἡγῶ  
ἡμᾶς, καὶ μὴν ἔμεν λύτρωον ἔταξε, Θεός.  
Ὅφρα βροτὸς σύμπας μύθῳ αὐτοῦ πθήσας,  
τῷ ἔρατῷ μετέχη αἰδίδιο βίῃ.  
Ἄλλὰ ἑασίπνες ῥ' ἄθεοι, ὑπερήφανοι ἄνδρες,  
οἱ κρατεροῖο Θεῷ ἀνπλέγασι λόγοισι.  
Βεβόμενοι ἔργοις ἰδίοις, λίην ἀκαθάρτοις,  
ἔρατῷ ἐσελθεῖν εἰς δόμον ὑψόροφον.  
ᾧ πόπι, οἱ ὀρθῶς ῥὰ ἀληθεῖσι μελιχίοις τε  
μὴ πτεύουσι λόγοις ἀθανάτοις Θεῷ.  
Τῶτων νῦν κρατεῖς, Πολυφίλπατε, πρόσφρονι θυμῷ,  
φράζων, ὡς γραφθῆ ἐν ἱερῆσι βίβλοισι  
Εἰς ἔδ<sup>Ⓞ</sup> ὡς βάνωσι τελάνης καὶ φαρμακί<sup>Ⓞ</sup>,  
ὡς Ἰ ἀπέβη κῆν<sup>Ⓞ</sup> τῷδε δικαιοπρ<sup>Ⓞ</sup>.  
Ἄυτη ἡ μελέτη πέλεται πατρὶ ὑψιμέδοντι  
ἠδὲ ἅπασ' ὀτοῖς ἡμεροῦσσαι βροτῶσι  
ὄυτως ἱερῶ Θεῷ σ' Ἐκκλησία σεμνολογῆσά,  
οἷ τε χάριν μετ' ἐμῷ ἔυξεται ἔρατῶν.  
Χρησά ἅπαντα φέρησά ὁ ὀβερμωροῦς ἰησῶς,  
ὅς παντὸς δάωρα χησάμῃ ἐστὶ δότης.

JOHANN. NIEDER/Svinf. Franc.  
S. S. Theol. Stud.

105 (0) 90











iamur. Phil. 3. 9. Quæ distinctio facilè solvit dubium  
 Paulo, cum Verbū & Sacramenta sint *domina* organa  
 Fides ut medium propinquum à DEO in nobis est  
 illa media, per quæ Fidem salvificam Spiritus S. in  
 à qua deinde salus animarum nostrarum fluit!  
 stram adeò est necessaria, ut sine ea homo DEO pro-  
 nimè possit: Illorum verò, licet etiam sint neces-  
 (si ordinariam DEI spectes ordinationem,) tamen  
 tatis DEUS etiam sine illis fidem & salutem in ho-  
 non est tanta tamq; stricta necessitas, quæ est Fidei  
 justificationem ingredientis.

§. 44. Quamvis etiam non ignoremus præ-  
 stræ justificationis causas alias dari, eas tamen tribu-  
 servire tutò credimus, ut quæ nobis gratuitum DEI  
 ritum Christi, & Fidem salvificam sistunt. His autem  
 levi brachio enervamus falsissimas ejusdem causa-  
 rum phalanx hoc salutare beneficium audet adscribi  
 solido scripturæ fundamento niti firmà sit nobis me-

§. 45. Restat, ut in causam nostræ justifi-  
 cis inquiremus, quam (a) respectu *æternitatis* DEI,  
 am Jehovæ, sive ineffabilis DEI erga genus huma-  
 cordiæ, & tremendæ erga illud justitiæ documentum  
 nostri salutem, & beatitatem æternam. Rom. 6. 22.  
 nostræ justificationis adjungimus, quæ sunt (a) *Rece-*  
 Rom. 5. 10 Rom. 4. 25. (β) *Adoptio*, Joh. 1. 12. (γ) *Pax*  
*scientiæ*. Rom. 5. 1. Ef. 32. 17. (δ) *Donatio Spiritus*, S.  
 (ε) *Immunitas à legis maledictione*, Gal. 3. 13. c. 4. 4. 5. N-  
 stolus, *amplius sumus sub lege* (nos sc. maledicente De-  
 tionem prædicante 2. Cor. 3. 9.) *sed sub gratia*. Rom.  
*ratio de spe gloria DEI, & nulli seculorum seculi termi-*  
*gaudiis*, Rom. 5. 2. Confer. Rom. 8. 17. &c.

§. 46. Et hæc de hac maximè ardua materi-  
 tate sed ingenij modulo dixisse sufficiant. DEUM  
 votorum precumq; cultu veneramus & obtestamur  
 D

